

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Disputatio Theologica Inauguralis De Conversione  
Judæorum Adhuc Futura, ex Hos. III. 4. 5. Minime  
Probanda ...**

**Krakewitz, Albrecht Joachim von  
Gryphiswaldiæ, [MDCCXXII?]**

**VD18 13044273**

Widmung

**urn:nbn:de:gbv:45:1-16805**

SPLENDIDISSIMO

Inclutæ Civitatis Palæo-Sedinensis

ORDINI SENATORIO,

VIRIS

*GENEROSO, PRÆ-NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS*

*PRUDENTISSIMIS DOMINIS*

CONSILIARIO PROVINCIALI,

& CONSULIBUS,

DNN. SYNDICO,

CAMERARIIS,

SENATORIBUS,

PATRIÆ PATRIBUS MERITISSIMIS,

*Dominis Patronis & Evergetis suis*

*omni observantia & honoris cultu*

*prosequendis,*

Dissertationem hanc Inauguralem,

grato in patriam animo

offert ac consecrat.

ÆSTIMATISSIMORUM NOMINUM

perpetuus Cultor,

AUCTOR.





Isra sanè & luétuosa exulcerato hoc seculo Ec-  
clesiæ nostræ Evangelico - Lutheranæ facies  
est. Cum innumeris iisque perditissimis ipsi  
conflictandū est malis, intra & extra mœnia;  
& à quibus auxilium atque medelam sibi pro-  
mittere possit vix habet. Epicureismus &

Fanaticismus intus rebus novis student, fasces arripiunt,  
veramque in exilium agere religionem allaborant. In ea,  
proh dolor! incidimus tempora, quibus omnis & nulla reli-  
gio pari ferè passu ambulant, & DEUM religiosè colere hebetis  
planè animi putatur. Religio certè habetur tutissima, nulli  
Religioni esse addictum, & in mera opinionum atque super-  
stitionis monstra redigere fidem, ingeniosum. Loquantur  
illud dias in auras hodiernum emissæ tot Indifferentistarum  
& Naturalistarum scedæ, in quibus Diabolo ipsos sæpe  
honorificentius de rebus sacris locutos fuisse deprehendes,  
quam qui in gremio Ecclesiæ nostræ nati, omniq; scientiarum  
genere liberaliter sunt instituti. *Conferantur, quæ hanc in rem  
commentantur Viri de orthodoxa nostra veritate meritissimi: FECH-  
TIUS in Proœmio Historiæ & Examinis novæ Theol. indifferentistice, &  
WERNSDORFFI9 in Præf. ad Comment. de Indifferentismo Religionum.*  
Quàm non appositè de labe hac Ecclesiæ nostræ conqveritur  
SPENERUS in *Consil. Theol. lat. P. I. C. I. art. 1. §. 7.* Sæpe cogitavi eo  
rem deventuram, ut qui Theologiæ damus operam, non ad eò  
controversiis istis incumbere necesse habeamus, quæ inter eos agitantur,  
qui CHRISTI profiteantur doctrinam, quam quæ nobis cum apertè Θεομαχούς  
intercedent. Huic jungendus BUDDIUS in *Disp. de Veritate Relig.*